



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 9. In energumenis pœna diuina consideranda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

possidere non possunt : iure per peccatum ac-
quisito scilicet. Nam Dei potestate accepta,
possunt, ob alios quoq; bonos fines, etiam
sæuire in innocentes, vt infra docebo.
Interim & nocentes diuinus iudex, vt iu-
stè, ita & vtiliter plectit.

§. IX.

*In energumenis pœna diuina conside-
randa.*

S. Hier.
in Dan. S.
Epiphan.
in vita
Danielis.

Si aliquos permittit palam ita vexari,
eosq; monstrosos fieri, ceteris mortalibus
monstrat, quid vitare debeant, ne & illi in
huiusmodi monstra abeant. Sententia D.
Hieronymi & D. Epiphani est, Assyrio-
rum regem Nabuchodonosor, præterquã
quòd ita monstrosus effectus sit, quemad-
modũ eum nos supra descripsimus, etiam
adeò monitrosum fuisse, quòd à dæmoni-
bus obsessus esset. Quæ opinio inde suam
accipit probabilitatẽ, quia certe plurima
obsessi in eo fuerunt argumenta. Quod si
ita est, reuocemus in memoriã flagitia il-
lius, & fatebimur eum totas legiones dia-
bolorum commeruisse. Saul quoq; rex à
multis grauissimisq; authoribus existima-
tur à cacodæmone infessus & exagitatus.
At quis eum innocentem passum existima-
uit,

uit, qui tam inuidus, tam superbus, tam Deo & Prophetæ inobediens, & tantus Davidis persecutor fuit? Quas ob causas dicitur: *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino.* Recedente ergo spiritu Domini, animaq; virtutibus euacuata, succedit spiritus nequam; sicut in domum ab hominibus desertam, immigrant vlulæ, & vesper-tiliones, & striges. Huic nocturnæ & male ominatæ aui nidus vitijs paratur & ornatur; & ibi vbi vsque ad puluisculum, vt aiunt, virtutes sunt eliminatæ, libenter habitat spiritus immundus, cui locus immunditijs mundatur, & spurcitijs ornatur. Hunc ergo hospitem inuitat, qui animam suam ad hunc modum ornat; iuxta illud: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, querens requiem: & non inueniens dicit: Revertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi.* Hoc ipsum declarat Cassianus his verbis. *Constat, immundos spiritus, (ordinariè) non aliter posse in illos, quorum*

Luc. 11.

24.

Cassian.
collat. 7.
c. 24.

quorum corpora obtenturi sunt, penetrare; nisi prius eorum mentes cogitationesq; possederint. Quos cum timore ac memoria Dei, vel spiritali meditatione nudauerint, velut exarmatos omni presidio, ac munitione diuina nudatos, facile vincendos audenter inuadunt: domicilium deinceps in ipsis, velut in possessione sibi tradita presumunt.

§. X.

Exempla eorum, qui in poenam à demone sunt infesti.

Metaphr.
1. Febr.

Potest hoc innumeris exemplis illustrari, atque in primis eo, quod in vita S. Tryphonis legimus. Adducta erat, ad hunc sanctum Gordiani Imperatoris filia, à malo demone infesta. Eum demonem adiurans Tryphon interrogauit, cur ausus esset in puellam hanc intrare? Coactus igitur pater mendacij dicere veritatem, respondit: *Dæmones in illos habere potestatem, qui opera ipsorum grata exercent: qualia sunt, cultus simulachrorum, blasphemia, adulteria,*

Sigebert.
circa An.
697.

veneficia, inuidia, cades &c. Verum hoc esse, docet historia S. Kiliani à nobis alibi recitata. Summa est. Persuaserat Kilianus Franconia Duci, vt Geilanam fratris eius coniugem dimitteret, ne alter Herodes fieret.